


05

A

582



Quod felix faustumq; Deus esse jubeat! 19
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
De
ARTHRITIDE,
Galenicè & Hermeticè de-
ducta,
Qvām
Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ in
celeberrimâ Wittebergensi Academiâ,
PRÆSIDE
Excellentissimo, Clarissimo, Experientissimo
VIR O,
Dn. JOHANNE ERINGIO,
Medic. D. P. P. meritissimo, Præcepto-
re suo venerando,
Pro summis in arte Medicâ ho-
noribus & privilegiis,
publico examini submittit offert
M. DAVID PREIBISIUS,
Glogâ Silesius,
Ad diem I. Julii,
In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis.

WITEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC. XLI.



*Viris Amplissimis, Excellentissimis,
Clarissimis, Exponentissimis,*

Dn. MARCO BANZERO M. D.

P.P. celeberrimo, ejusdemq; Facultatis Se-
niori, nunc temporis Decano spectatissimo.

Dn. JOHANNI ERINGIO M. D.
& P.P. laudatissimo.

Dn. CONRADO VICTORI
SCHNEIDERO Med D, & P.P, meritissi-
mo,



*Nec non
Reverendo, Clarissimo,*

Dn. M. AUGUSTO FLEISCH-
HAUERO, Ecclesiæ oppidanæ Archidia-
cono fidelissimo.

05 A 522

Dn, Præceptoribus, Promotoribus & Fau-
toribus suis debittæ gratiudinis ergo

*Hanc Disputationem inauguralem
offert*

Autor & Respond.

Proœmium.

DE arthritide, qvæ

*tartaresas inter rupes, invicta, superba,
tartarcos fundit nodos.*

varii varia. Invenies enim, qvī molestā hujus mali diutur-
nitate commoti sollicitè sibi & aliis per svadeant, nullam un-
qvam (Di prohibete nefas) podagram esse sanabilem. Ex
adverso nonnullos reperire licet, qvi nescio qvam facilitatem
in curando sibi pollicentes eam tam facile, qvam levissimam
febriculam posse curari Trasonico fastu profitentur. Qvam
qvidem sententiam credendam potius, qvam in se ipso expe-
riundam recte censet *Schnizerus*. Saniorem mentem alunt, *in cyst med.*
qvi experientia confisi neqve nullam neq; omnem sanabilem
proclamat. In hujus naturam, ut in præsentia nonnihil
inqviramus operæ pretium duximus.

p. 196.

Nostris D. us annue, æptis.

Sit itaqve

Aphor. I.

Arthritis nomen suum habet à parte affecta.

χόλιον.

ANominis explicatione non iniquè incipimus, cum sine
eo rem cognoscere velle, nihil aliud sit qvam tempus per-
dere, teste Galeno. Derivatur igitur hæc vox, qvæ origine *lib. i. meth.*
Græca est *ἀρθρότασθη* ab articulo, eò qvod circa articulos tru*med. cap. i.*
culentiam suam exferat. Sumitur autem *τὸ ἄρθρον* hoc loco
pro partibus qvæ ipsum articulum jungunt atqve vestiunt. *Senn. de*
Latinis dicitur morbus articularis, barbaris passio arthetica, *artb. c. i.*
antiqvioribus gutta (num rectius qvam Græcis qvod vult
Franciscus India non dixerim) Germanis das Gliederwehe / per tract. d. gutt.
jocum etiam die Herrenfrankheit / eò qvod ciborum varietate *pod. c. i.*
delectentur, vinumq; plerumq; liberalius bibant, imò crapu-
lâ sæpius dediti, unde malum facile contrahitur. Paracelsus

A 2

&



& qvi eum seqvuntur more suo à causa Symviam non raro
denominat. Uſus obtinuit, ut qvamdiu dolor omnes vel mul-
tos articulos loccupat, nomen suum Arthritis retineat, ubi
verò unum tantùm infestat pro varietate loci diversum for-
titur nomen. Addimus tamen, si commodum haberí pos-
sit, alias in defectu hujus generali meritò utimur; qvandoqvi-
de morb. int.
lib. 4.c.18.
dem omnes species sub se comprehendit qvod contra Merca-
tum notasse sufficiat.

Aphor. II.

Arthritidis vocabulum non latè sed strictè hoc loco
accipitur.

χόλιον.

Dupliciter Arthritidis *έπυμον* accipi potest. 1. Latissimè
pro omni dolore articulos corripiente undecunque ille suam
habeat originem, sive à causâ externâ sive internâ, qvo signifi-
catu omnes ὄστεοκόπται differentias, de quibus egit *Galenus lib 2.*
de sympt. cauf. c. 5. complecti licet. Imò luxatio huic referri potest,
itemq; lues venerea, insuper dolor ille, qvem in coxâ jamjam
menstruales virgines teneræ aut partui proximæ fœtæq; mu-
llieres percipiunt. Nec incommodè huc trahi potest tristis
sensatio scapularum & brachiorum. 2. Strictè & magis me-
dicè pro dolore qvi ex humoris serosi subitaneo per venas &
arterias influxu in sentientes articuli partes sese insinuat.
Posterior hujus loci est.

Aphor. III.

Definitur secundum Galenicos: qvod sit dolore exquisi-
tus partium nervosarum in ipsis articulis cum motus ani-
malis impedimento, dependens à solutione unitatis,
qvam serosior facit humor, in quantum ad illas partes è
venis & arteriis per subitaneum fluxum defertur.

Secundum Hermeticos: qvod sit passio articulorum
dolorifica dependens à solutione continui, qvam affluxus
materiæ vitiosæ tartareo Salinæ efficit.

χόλιον.

Essentiam cujusvis rei definitio suppeditat, hanc genus
& dif-

& differentia, qvæ cum partem affectam, causam continet & proximam signaq; pathognomica continere debeat singula inquirenda veniunt facto initio à genere.

Aphor. IV.

Arthritidis genus dolor est, vel qvod idem ex Hermeticorum nonnullorum mente passio dolorifica.

χόλιον.

De genere arthritidis magnum inter medicinæ proceres dissidium dum alii per tumorem, alii per defluxum, alii per inflammationem eandem finiunt. Qvâ rei veritate ipsi viderint. Certum qvi pertumorem Arthritidem circumscribunt non omnem, sed qvandam tantum delineant, cum sæpè nullus tumore evidens in partibus externis appareat. Qvi vero per defluxum, pessimè errant; dum causam efficientem pro genere accidentis constituunt, qvod contra regulas Philosopherum. Denique qvi per inflammationem impropriè rem declarant, non aliâ ratione, qvam qvâ omnem sæpè tumorem calidum ex calidiorum tenuiumq; humorum attractione obortum inflammationem vocitat *Galenus l. d. constit. art. c. 15.* Melius agunt qvi per symptomata dolorificum naturam ejus exprimunt, atqve sic (qvod & nos fecimus) per dolorem vel qvod idem per passionem dolorificam eam definiunt. Qvis enim nescit, dolorem ita proximè adhærere arthritidi, ut si illum demas, arthritidem illico dissolvas; præterea non infrequens sit, affectum aliquem definire ab eo symptomate, qvod vel maximè urget, qvomodo Epilepsiam motum depravatum, Apoplexiā abolitum, phrenitidem delirium, pleuritidem dolorem vocitamus.. Et licet motus impotentia inseparabiliter etiam concurrat, qvo nomine *Minodaus Rhodiginus tract. de arthrit. c. 3.* hoc qvam nostro mavult uti genere; attamen nisi præter imbecillitatem motus dolor qvoqve isqve pungens & mordax (malè alii aggravativum addunt, qvi parenchimatibus proprius) adsit, nunquam erit arthritis. Addimus autem qvod sit dolor exquisitus ad distinctionem leviorum articulorum & vicinarum partium dolorum, qvia

nunquam sine intensissimo dolore accedit; de cuius natura
multi multa. Omnia recensere velle nec hujus loci nec no-
stri instituti. Sufficiat hac vice nostram sententiam brevibus
declarasse; ubi sciendum nos de dolore non generaliter con-
siderato, prout omni delectationi opponitur loqui, sed de illo
tantum, qvi inimicus tactui. Hujus essentiam statuimus con-
sistere in molestia dolorifica, qvæ ex perceptione objecti in-
grati tangibilis oritur. Objectum istud hoc loco nihil aliud
est, qvam humor serosus sive spiritus qvidam salinus, qvi in
organum tactus vellicando & pungendo agens solutionem
continui (en causam doloris) procreat, quo peracto spiritus
animalis speciem objecti improportionati sursum ad cere-
brum defert, ut sc. in primo *αἰθητήριῳ* dijudicetur. Non e-
nīm ignorandum præter objectum etiam facultatem anima-
lem reqviri ad passiones dolorificas percipiendas, qvæ nec
corrupta, nec aliis intenta, nec extremè languida esse debet,
qvemadmodum hoc ipsum confirmat *Hippoc. lib. 2. aphor. 6.*
qvando inquit: qvibus pars aliqua corporis dolet, neqve ferè
dolorem sentiunt, iis mens ægrotat. Unde qvi delirant cum
facultas superior in iis labore, dolores non sentiunt, nec sa-
pores discernunt. Et sapè graviter vulnerati ardore pugnæ
& vindictæ mente aliò conversâ dolorem non percipiunt.
Frustra proinde *Quercetanus* cons. de arthrit. p. 297. conqueritur,
qvasi dogmatici non exprimant, qvid nam illud sit, qvod sen-
tiat ac doleat in partibus. Contrarium ex dictis constat. Po-
tius illum erroris incusamus, dum Spiritum astralem per to-
tum corpus diffusum esse id qvod sentiat ac doleat dicto loco
asseverat.. Esse namqve balsamum vitæ in partibus mem-
branosis non semper id qvod sentiat ac doleat vel unicum
exemplum paralysis manifestat, qvandoqvidem ibi salvo Spi-
ritu balsamico (ita calidum innatum vocat) nulla interdum
sit sensatio, etiamsi pars affecta immanni modo vellicetur,
pungatur vel aliâ ratione tractetur. Nobis maneat, ad dolo-
ris Arthritici essentiam reqviri organum animatum spiritu
suo vivifico perfusum, qvatenus aliquid p. n. patitur. Duo
verò potissimum organo p. n. accidere possunt ad generatio-
nem

nem doloris inservientia nūm. intemperies & unitatis solu-
tio; qvō nomine multi duas causas agnoscunt doloris intem-
periem & solutionem continui. Verūm cum unius effectus
unica tantūm sit causa proxima, adeoq; unum à pluribus de-
duci nequeat, magis probabilem illorum sententiam cense-
mus, qvi causam doloris non duplēm sed unicā faciunt.
Qvæ autem sit causa unica rursus controvertitur? Averroes
à sola intemperie dolorem oriri autumat: at rectius Galen.
lib. 4. de simpl. med. facult. c. 2. nihil dolorem inferre posse scri-
bit, nisi idem continuum solvere valeat, adeoq; causam pro-
ximam ad continui solutionem, qvæ partium nervosarum &
membranofatū tensio ac divisio est, restringit. Interim pro-
dēcīsione qvæstionis seq̄uentia obſervare non inutile est.
1. Per continui solutionem non tām ipsum motum, qvi sepa-
rat continuum, qyām illud qvōd tali motu productum est
nos intelligere; unde Galenus non sensionem simpliciter, sed
tristem sensionem esse voluit. Hinc *Campan. lib. 3. medic. c. 3.*
art. 2. definit dolorem, qvōd sit affectus seq̄vens sensum præ-
fentis mali. 2: Solutionem continui aliam esse manifestam,
aliam obſcuram. *Capiv. pract. med. lib. 1. p. 26.* 3. Distinguen-
dūm inter causam mediatām & immediatām; item inter cau-
sam proximā & principalem. *Senn lib. 1. pract. p. 3. f. 1. c. 2.*
Immediata & proxima tantūm est solutio continui; princi-
pales sunt qvæ proximè hanc antecedunt, qyalitates nimi-
rūm, primæ, secundæ, & humorum copia; qvo observato faci-
lē Galeni loca in speciem pugnantia conciliari possunt;
qvandoqvidem aliquando proximam doloris causam, qvæ
una est, qvandoq; principales; qvæ plures esse qveunt propo-
nit. Si cui tamen ob usum Medicum in curando, qvōd
Horst. monet in probl. med. dec. 3. q. 9. magis placet, causam du-
plēm doloris statuere, cum eo non pugnabimus, propterea
qvōd s̄epius dolorem absqye evidenti solutione alteratione
fatis manifestā percipimus: s̄epius etiam unitatis solutio ma-
nifestissima dolorem introducat sine evidenti alteratione,
adeoq; non semper proximæ, verūm etiam remotæ causæ in
curationib⁹ respiciendæ sint.

Aphor.



Subjectum Arthritidis proximum præcipue sunt par-
tes sensui dicatae sive membranosa; Hermetici ob-
trudunt gluten sive synoviam.

χόλιον.

Quemadmodum cujuscunq; morbi semper pars aliqua statuenda, ita & receptaculum arthritidis meritò inquirimus. Cognoscitur omnium optimè ex lœfarum functionum noti- tiâ. Igitur sensus lœsio cum adsit hic manifestissima imma- nesq; cruciatus non dubitandum qvin partes sensui dicatae (uno verbo membranosa) mali hujus domicilium consti- tuant. Qvod autem nonnulli & motui dicatas partes (intelli- gè tendines nervos, ligamenta,) sub censum subjecti referant, eâtenus tantùm admittimus qvatenus membranis investiun- tur. Hinc rectè *Carpinetus d. gutt. c. II.* scribit: actum sentien- di in arthrite lœdi primariò, movendi secundariò, qvatenus ob dolorem & humoris affluxum débilitantur nervi. Ratio- nem desumit ex objecto arthritidis proprio, qvod rō tangibili- le est, hoc autem sensationem facit. De ligamentis qvæ *Gal.* *L. I. de us. partium ἀναίδηται* pronuntiet res dubia Rem expe- dit distinctio. Ligamenta alia sunt cartilaginea, qvæ ab os- fibus orta, alia membranosa qvæ validissimis nervorum fila- mentis intertexta à periostio διοικήσεως αρχήν æmulantur Illa sensu destitui cum Galeno & aliis concedimus; hæc verò sen- su gaudere constanter cum *Mercato tom. 4 lib. 4. c. 18.* asseve- ramus. Nec qvicquam est, qvod metuant fore exinde, ut ho- mo perpetuò doloribus teneatur, cum motus novi doloris semper sit occasio: etenim qvando naturæ providentiam, qvæ partes illas probè munivit & optimè constituit ad ani- mum revocamus, vix fieri potest, qvin in eam deveniamus sententiam. Exemplo sit periostium, qvod acutissimi pro- fectò sensus, & qvo immediate articuli cinguntur, circa qvod tamen nihil qvicquam tale contingit. Reliqua qvæ contra ligamentorum sensum proferuntur omnia distinctione mo- do data solvi possunt. Ex hac tenus dictis appareat errare illos,

qui ossa nomine subjecti comprehendunt. Absurditas ex dictis constat. Qvod enim membranæ expers, tam exquisiti doloris subjectum esse nequit? Hinc etiam falsus est *Mercatus*, qui lib. 4. de morb. int. p. 439. duplarem faciens podagram, aliam legitimam, aliam spuriam, concedit qvidem tunicas ligamentorum esse subjectum podagræ, sed non veræ sive legitimæ. Legitimam oriri ait ab humore in articuli cavitatem prolapso: spuriam duplicat, unam deducit ex humoribus in tunicis ligamentorum & tendinum, in nervis aut in eorum venis turgentibus & distendentibus, nulla eorum portione in articulos prolapsa; alteram ex siccitate humiditatis intra cavitatem articuli ad faciliorem motum præstitæ. Falsum, quando spuriam vocat illam podagram, quam ab humoribus in tunicis ligamentorum fieri dicit, aliud docet immediatum ejus quo gaudet subjectum. Falsum, quando subjectum veræ arthritidis statuit illud cavum, quod intercedit inter sinus & ossium processus. Contrarium probat i. ipsa arthritidis generatio, quæ fit per vasa alimentum partibus advehentia, unde necessarium est humorem peccantem primò in partes articulum ambientes influere, hinc si tanta ejus copia in articuli cavitatem transudare potest. 2. ligamentorum crassities, quæ humoribus transitum non facile permittit. 3. tophi qui non in cavitate articulorum, sed potius in partibus articulum investientibus producuntur. 4. doloris conditio, qui acutus; cum alias si in cavitate deberet esse obtusus. 5. Sinistra hujus mali curatio dum sc. repellentibus & refrigerantibus nimiis malum demulcere studemus, ubi non raro fit, ut humor à loco affecto in vasa & hinc in corpus ipsum legat suum iter, quod nunquam fieret si causa continens intra cancellos articulorum esset conclusa. Absit tamen, quis concludat, velle nos hoc ipso negare, nunquam posse in articulorum cavitate aliquid p. n. colligi. Non haec nostra mens. Aliud doceret experientia, aliud ipsissimæ subsequentes theses. Lubentissimè collectionem istam largimur, modò non inferas, quod sufficiens sit ad dolorem extitandum arthriticum. Hoc enim est quod pernegamus.

B

Potest



Potest quidem motus impotentiam facere, dolorem verò atrorem nunquam nisi per accidens distensis ligamentis & tendinibus. Nec tandem Capivacii opinionem approbare possumus lib. 5. f. 1. medic. pract. propositam, qvi doloris subjectum tantum absolvi vult ab ipsis ligamentis (ductus eo fundamento qvod si materia illa acrior esset circa nervos & tendines oriri deberet convulsio,) quandoqvidem credibile non est ligamenta præcipue humorem affluentem (obstat enim durities & crassities) recipere. Et tam atrox dolor absque læsione nervorum & tendinum fieri vix potest. Cur autem convulsio non seqvatur consideratione dignum. *Thomas Erastus disp. 4. cont. Paracels.* ex muscularum laxatione, qvam facit humoris defluxus rationem petit; sed gratis dicit non probat. Qvis enim crediderit, humorem arthritidem generantem esse simpliciter aquosum & pituitosum & non potius aptum, qvi tendat. Sanè dolor miseris miserè sàpè crucians aliud demonstrat. Verior Sennerti p. m. sententia, qvi eam ob causam rarissimè convulsionem fieri afferit, qvod partes non dicatae motui, sed tantum sensibiles solutionem patiantur continui. Cui si qvis peculiarem dispositionem, qvam humor convulsivus requirere videtur, addere velit, forsitan non absurdè fecerit. Hermetici, uti in aphorismo jecimus locum hujus morbi Synoviam esse putant. Qvi scit ubi sit synovia, scit etiam ubi podagra est, inquit Paracelsus. Quid autem per Synoviam intelligent non uno modo explicant. Plurimi è collimant, esse humorem alimentitium, qvo corporis nostri partes aluntur. Hinc *Scheunemannus medic. reform.* c. 5. lac dulce eam vocat. *Pernerus in consil. de arthrit.* addit, esse exquisitissimi sensus. Sententiam suam seqventi modo explicant; generantur in corpore spiritus tartaro salini, hi inter se uniuntur, post unionem in partibus mittentibus ad tempus tantisper coacervantur, donec copia vel qualitate concitat fluxione ad mineram suam hoc est articulos decumbunt, ibi synoviam quoqve contingunt, eiq; commiscentur, in qvâ missione ob contrarietatem fit effervescentia atqve excitatur paroxysmus arthriticus. Rem similibus ex macrocosmo defumtis

sumtis illustrant. Dicunt qvemadmodum acetum lacti tepido affusum coagulum facit; ita gluten, qvod lac quasi dulce est, salia acida, pontagiosa, styptica ferre non potest. Item qvemadmodum in compositione tartari Vitriolati tanta oritur effervescentia, ut fractionis vitri metus sit, ita in commixtione spirituum contrariorum. Satis nisi fallor speciosè. Verum qvid de hoc ipso Chymicorum dogmate censendum sit, pluribus explicat *Senn. in tract. de cons. & diss. c. 15.* ubi demonstrat, falsum esse 1. qvod Synoviam partis cuiuslibet alimentum esse contendunt, cum id ex partium nervosarum & articulorum vulneribus deducere conantur, qui humor effluens non est alimentarius sed excrementitus. Sæpius qvippe unicâ nocte plus effluit, qvam pars humoris naturalis in se cōtineat. 2. qvod Synoviam subjectū doloris arthritici pronūciant, cum partes tantum sensiles hoc nomine indigitandæ sint. Qvod enim Pernerus sensum Synoviæ adscribit, fictitium est, nec causæ qvicquam videmus, cur huic assertioni nostrum subducamus calculum. Cui verò libet in meliorem partem Chymicorum placita interpretari, commodissimè faciet, si cum Sennerto defendat, posse in neutrīs & ægris corporibus una cum sanguine ossium alimento tartareum qvendam humorē ob analogiam ad ossa deduci, qui ob ineptitudinem ad alendum in juncturis subsistit & tamdiu otiosus existit, donec concurrat humoris defluxio, ubi perfusâ & accensâ calce fit effervescentia quasi qvædam, qvæ dolorem vehementem in vicinis partibus excitat, atque sic latissimo loquendi genere subiectum forsan (non qvidem doloris, ast humoris defluentis causæ puta) dici posset, qvanquam & hanc articulus potius, qvam collectus in cavitate articuli tartarus recipiat.

Aphor. VI.

Causam continentem dicimus esse humorem serosum ad articuli membranosas partes delatum. Hermetici spiritus taitaro salinos ad mineram suam deductos accusant,

B 2

χόλιον.

De causis Arthritidem generantibus magna & gravis
 inter Hermeticos & Galenicos intercedit controversia; adeò
 ut *Aretæus l. 2. de caus. & sign. morb. diut. c. 12.* in hæc verba e-
 rumpat: causam veram soli Dii norunt, probabilem verò &
 apparentem etiam homines. De quâ tamen & maximum ad-
 huc litigium, cum neque inter se conveniant dogmatici. Qvi-
 dam nudam intemperiem sine materia accusant, eo qvod do-
 lorem observant ubi nullus tumor, quam opinionem dispu-
 tat Gveinerius. Alii omnigenos succos per affluxum ad ar-
 ticulos delatos causam hujus doloris proximam suspicantur,
 hoc potissimum pro suâ hypothesi utentes fundamento: va-
 ria (inquiunt) Arthritis inducit accidentia in diversis sub-
 jectis; in hoc aliam, in alio aliam monstrat faciem; interdum
 apparente in articulo tumore & calore, interdum verò mini-
 mè: Deinde ipsam curationem variare, huic prodeesse hæc,
 alteri alia; quæ ferè habet *Ludovicus Mercatus cur. morb. lib. 4.*
 Unde distinguit arthritidem in sanguineam, biliosam, pitui-
 tosam & Melancholicam. Idem facit *Spigelius tract. de arthritis.*
For. observ. de arthr. Pansa in tract. de podagrâ. Quidam inter
 antiquarios tamen, etiam flatus obtrudere voluerunt, do-
 centes oriri arthritidem vel ab humore vel à ventosi-
 tate. *Valesc. de Tarant. lib. 6. c. 23. de gutt.* Verum horum opi-
 nio cum die eviliuit & qvod dicebat Aristoteles maximum in
 malo bonum esse, seipsum destruxit. Fernelius in humore pi-
 tuitoso acqyiescit. Mercurialis causam invenit in miscellâ
 humoris, pituitosi & biliosi, & quis omnes recensebit, quas
 doctiorum excogitayit industria? Nos, ut liberè dicamus
 qvod sentimus, causas istas pro mediatis & accidentariis
 tantùm agnoscimus, siqvidem non περίτως sed δευτέρως in ma-
 lo hoc producendo agunt. Et qvidem intemperiem nudam
 sine materia non posse dici veram causam, evincunt non tan-
 tùm yasa turgida sub initium doloris podagrî, verùm etiam
 ipsa curationis ratio; quæ non alterantibus tantùm, sed va-
 quantibus in primis perficitur. De sanguine videtur res mani-
 festa, cum podagrî suppurationem vix incurvant, qvod ta-
 men

mentaliq; vando fieri deberet, si malum à sanguine. Proprium
enim inflammationis est suppuration. Addo qvod sangvis tan-
quam optimus vitæ thesaurus, licet ad hæc loca pellatur, tan-
tos dolores causare non possit. Imò multi vivunt plethorici,
qui planè ab hoc malo immunes. De humore pituitoso
etiam qvæ dubium ferant, sat multa sunt. Qvis enim non
scit, cum ad velocem motum valdè esse ineptum & omnis
acrimonie expertem, qvinimò laciniantes dolores nun-
quam facit, sed tantum obtusos. Ardor etiam qui podagræ
sæpè jugitur indicio est, eam non à frigido sed calido humo-
re proficisci. Bilis fraya eqvidem ad dolores excitandos satis
efficax esset, nisi obstat, qvod pars affecta nunquam ferè
flavedine tingatur; qvod de signatura bilis: quid? qvod æqvè
graciles ac obæsi incurvant hoc malum, cum tamen immotæ
veritatis sit principium, unius particularis effectus unicam
tantum esse causam particularem. Melancholicum humo-
rem statuunt causam pauci, animadvententes ejus ineptitudi-
nem. Est enim humor crassus, qui non facile in angustissi-
mas illas vias fese insinuare potens est. Nec invasio hujus
mali, qvæ subitanea, humorem hanc lentum permittit.
Miscella denique bilis & pituitæ tantum abest, ut sit causa
proxima, ut potius pituita obtundat bilem, ne dolor acutus
fiat. Ex his & similibus dum se autores expedire nequeunt
à causâ manifestâ ad occultam confugiunt, qvem admodum
Ambrosius Pareus lib. de arthrit. c. 2: 53. qui motus doloris ma-
gnitudine, repentinis insultibus, crebris mutationibus, & hu-
morum pertinaciâ humorem arthriticum vult esse indicibi-
lem nec notioris naturæ qvam pestem, luem venereum; &
paulò post eundem tenuem & virulentum esse scribit, non ta-
men contagiosum, qvalitate potius qvam copiâ peccantem.
Platerus etiam Arthritidis malignæ mentionem facit *tom. 1.*
prax. lib. 3. c. 6. Vérum ubi manifesta causa satis dari potest,
gratis ignorantie asylum qværitur. Et sancè Parei rationes
plus non evincunt, qvam Arthritidis causam non esse vulga-
res humores, sed peculiare quid eandem obtinere. Interea
non imus inficias, posse huic humoris malignam qvandam

qvalitatem qvandoqve conjungi , attamen non qvatenuſ
malignus est arthritidem producit, sed qvatenuſ spiritus ſali-
ni naturam obtinet. Meliorem ſententiam invenit Magnus
noſter p. m. Sennertus in colluvie ſeroſa, non qvæ nudâ aqva
absolvitur, qvalem *Carolus Rifo* in lib. de morb. ab illuvie ſero-
ſâ obtrudit, ſed qvæ cum aqvo ſitate tartarum diſſolutum in
ſe continent, in qvo tartaro qvia magna viſ corroſiva & acris,
hinc tantus dolor. Dari autem in ipſo ſero hunc tartarum
oſtendit ejus anatomia per resolutionem; argumento eſt uri-
næ ſedimentum totum qvandoqve tartareum ; testimonio
ſunt calculorum calculi; indicant podagricorum articu-
lorum ſubſtilla & tophi, qvi nihil aliud ſunt, qvām coagula-
tiones iſpiciſt tartari. Qvæ ſententia, meo qvidem calcuло, pa-
rum aut nihil ab Hermeticorum ſcholâ deviat, qvi ex ſpiriti-
bus ſalinis dolorem arthriticum maximam partem derivant,
& pro diversitate Salis contenti in iſpis juncturis dolorum
differentias faciunt. Unde qvod alii immaniffimis torque-
antur doloribus, alii tolerabilibus, alii minimis, cauſam reji-
cit *Quercetanus* conf. de arthrit. in diversitatem ſalis. Satis niſi
fallor commode. Salia enim illa corroſiva & acria ſpiritibus
ſuis acutis, variis exercere doloribus & exeruciare ſaepè im-
maniffimis ſolent patientium articulos membranis multis
inveſtitos, adeò ut maligni qvid ſubeffe ſubſpicati ſint. Atqve
hoc iſpum eſt, qvod tartareum hunc morbum dicant, qvia ex
ſale ſeu tartaro beneficio cibi & potus in corpus invecto & in
formâ resolutâ ad matricem ſuam, h. eſt, articulos delato, ſed
inibi poſtea coagulato provenire existimant. Unde & in cu-
rando ſalibus reſolventibus malo huic ſuccurrunt. Scien-
dum tamen, non planè eos excludere Mercurium & Sul-
phur, qvibus ſuas etiam partes relinqunt. Hinc Paracelsus
aliqando definit podagram, qvod ſit ſulphur accenſum in
ſynoviâ ſæviens. Calor namqve ex ſulphure oritur,
qvod propter ſpirituum ſalinorum fervorem in glutine ſuc-
cenditur. Propter dominium autem merito ſalinus hic mor-
bus indigitatur.

Aphor.

Aphor. VII.

Causa antecedens secundum Galenicos est humor serosus in corpore collectus in quantum habet vergentiam ad articulos. Secundum Hermeticos liqvor tartareus salinæ simul, sulphureæ & mercurialis naturæ à balsamo sive spiritu vitæ ex omnibus iis, quæ microcosmo pro sustentandâ vitâ naturaliter sunt necessaria attractus & p. n. in corpore retentus.

χόλιον.

Esse affectum nostrum ex genere fluxionis ex antecedentibus constat. Cum autem ad omnem fluxionem quatuor requirantur, 1. materia quæ fluit, 2. terminus à quo, 3. viæ 4. locus ad quem, meritò de iis solliciti sumus. Materiam dicimus esse humorem serosum sive liqvorem tartaro salinum, cuius generatio quâ ratione in corpore fiat non ita placitum. Certum est plantas cum suo succo alimentari extra here sales terræ, qui dum minerales, non sunt corpori ad restaurationem apti, unde fit, ut vel exactè a viscerum robe separentur & per convenientes vias evacuentur; vel quando viscerum dominatur debilitas in corpore retineantur & hinc inde protrudantur, donec tandem ad articulos constringant, de quâ re elegantissimè Crollius in prefatione in Basit. Chym. quem vide. Terminum à quo quod concernit plurimi ad caput configunt, quia vident in arthritide caput affici. Sed probabile, omne quod in hoc affectu caput patitur per consensum fieri, neque credibile, impunè posse caput cumulare tales humores sine metu majoris mali. Quidam si humor serosus in capite vel potius in verticis parte exteriore cumulatur, cur non instituimus eo loci curationem & fonticulum excitato humorē evacuamus. Si autem quandoque vagi dolores in partibus externis humore à capite sub cure distillante excitantur, sciendum, eos non veram arthritidem constituere, cum citò remittant & non circa articulos, sed muscularum membranas consistente oriantur. Nos humorē peccantem circa hepar & lienem cumulari existimamus,

ubi



ubi viscera à chylificatione & sanguificatione laudabili ob
malam constitutionem declinant. Qualis autem viscerum
dispositio præternaturalis hic reqviratur, porrò inquirendum
venit. Epar calidius dum justo citius attrahit cruda adhuc,
se ipsum moratur in coctione, hinc præpedita excrementitio-
rum humorum excretio, hinc illa manans confusio sanguinis
& exrementi. An verò & frigidius hepar hujus vitii accusa-
ri possit, disputant. Non dubitarim. Hepar enim calore suo
depauperatum actiones suas segnius exerit, nec sepa-
rat separandum, unde & crudior sanguis & uberior tartari
proventus. Idem judicium de liene esto. Nolumus tamen
planè excludere ventriculum, qvi dum imbecillior, saepius
malum promovet. Vitium namque primæ concoctionis non
corrigitur in secundâ. Præterea solet ejusmodi *Alægoris* tar-
tarifica hepati & lieni ingenerari, ubi qvis arthriticis nascitur
parentibus à qvibus vitiosa dispositio impuritates salsuginosa-
sas gignens seminis interventu in prolem derivatur. In fœ-
minis, ubi uterus peccat, plerumque *Phœnix* ipsius accusa-
tur, ob qvam *yuvânia* seroso humore inquinata subsistunt &
postea iter suum ad infirmas pedum partes ingrediuntur.
Cum igitur arthritidis causa circa coctionis secundæ viscera
generatur, necesse est, ut per vias commodas in articulos ef-
fundatur; qvæ sanè non sunt (1) partes externæ capitis, uti
placet Fernelio, per qvas à capite subacute deorsum destillare
arbitratur. Si enim hoc dolorem excitaret materia in parti-
bus per qvas transit et in collo, in scapulis, dorso, qvod tamen
non fit. Deinde signa cumulati humoris observare liceret,
qvalia sunt gravitas capitis & somnolentia, cum tamen con-
stet, plurimos salvo capite arthritidem invadere. Imò expe-
rientia reclamat, qvâ saepè videmus ex morbis diuturnis &
acutis homines fieri arthriticos, qvorum sanè causa non est
in capite, sed in inferiore ventre; neq; (2) extrema spinalis me-
dullæ superficies, cūjus ductum seqvi putat humorē Eusta-
chius Rudius; neq; (3) nervi qvos allegat Platerus. Periculo-
sæ enim hæ viæ & nunquam non sine metu paralysis, convul-
sionis & aliorum malorum qvæ nervos infestant. Sit etiam
qvod



qvod tale nihil contingat, qvomodo qvæso à spinali medulla
ad pedum articulos devolvetur humor? Neminem qvippe in
Medicorum & Anatomicorum scriptis ita peregrinum esse
crediderim, qvi statuere velit, spinalem mrdullam ad extre-
mos pedis articulos desinere. Nervi verò eâ parte oriundi &
ad pedes excurrentes hūmorem illum ob rationem dictam
recipere neqveunt; nec (4) occulti & insensibiles meatus;
cum hac ratione plurimæ in arte controversiæ decidi queant.
Et qvæ necessitas, ad occultas configere vias, cum manifestas
dare liceat? Sed (5) venæ & arteriæ; qvem admodum egregiè
demonstrat Clarissimus Adrianus Spigelius tractatu de ar-
thritide; qvanqvam in eo errare videatur, qvod prius ad ca-
put deferri hūmorem peccantem sentit, anteqvam per venas
& arterias ad articulos propellatur. Sententiam nostram ne-
garè nullo modo possunt, qvi observant 1. vasorum illorum
sub initium doloris podagrici turgentiam. 2. subitaneum hu-
morum defluxum. 3. infelicem in corpus refluxum, qvando
scilicet adhibitis repellentibus non raro pedes jam affigens
humor παλινδροῦ instituit, & eo qvandoque assurgit; ut
compressionem, syncopen, aut simile quid cum periculo sàpè
ægrotantis pariat; nisi rursum ad articulos relabatur, vel
etiam catarctico exhibito egeratur. Terminus ad qvem est
ipse articulus; qvi lixivio falsuginoso patienter hospitium
indulget, in qvantum imbecilliōr. Imbecillitas est vel nati-
va, vel adscitia. Nativa est, cum vel ipsi articuli in ipsâ stru-
cturâ sunt laxiores, mollioresq; & ad allabentem materiam
fusciendam proni; vel à parentibus hæreditario jure in-
temperiem & debilitatem contraxerunt. Ad qvam nativam
pedum imbecillitatem plurimum facere Martem & Satur-
num tradunt Astrologi. Horum namq; maleficorum alte-
rutro in piscibus existente, hominem podagricum, vel alio
pedum morbo dētentum, facere docent; cum pisces pedibus
præficiantur, & in primis si in VIta vel XII extiterit domo.
Adscitia est, cum articuli debilitantur, vel à labore nimio,
vel aeris excessu, aliisq; causis. Obiter qværi posset, qvî fiat
qvod materiae fluxus ad articulos & pedum maxime (ab his

C

enim



enim ferè incipit } fiat? Forsan, qvia natura semper laborat
id qvod noxium longius ablegare à fonte caloris? jam pedes
satis remoti: Vel qvod serosus ille humor peculiarem habeat
cognitionem cum articulis, qvemadmodum humor Plicæ
familiaritatem cum pilis, de qvo videatur *Sennertus c. 2. de ar-*
thrit. Cæterum cum humorum collectio duobus modis fiat,
vel per congestionem, vel per affluxum, qvarere solent: an
etiam priori modo (nam de altero nemo dubitat) humoris
fiat collectio. Facile non dixerim; malum enim subito su-
pervenit & pars perpetuò non laborat. Interim lubentes lar-
gimur, posse articulorum imbecillitatem ad mali diuturnita-
tem & continuationem aliquid facere; dum alimenta sibi
non rectè assimilant, sed excrements colligunt.

Aphor. VIII.

**Causa irritans hujus mali est omne illud, qvod arthritidis
παρεγοσκευὴν movere atque excitare potest.**

χόλιον.

Causam hanc expedient sex res non naturales. Ubi oc-
currit aer humidior, qvi mirum quantum fluxiones augeat,
unde & illa humorum ad articulos destillatio; deinde cali-
dior & siccior, in quantum humores ad excretionem stimu-
lat, imò & frigidior, dum poros cutis constringit; unde aeris
hujus ambientis vim extemplo sentiunt podagrī, qvo no-
mine dicuntur habere Almanach in pedibus. Inprimis verò
& autumno dolores arthritici vigilant; eò qvod tum aer hu-
mores maximè exagit. Hinc *Hippoc. lib. 3. aphor. 20. & 6.*
aphor. 55. qvibus podagrī dolores instant, iis vere & autu-
mno magnâ ex parte moventur. Quantum verò juvet hoc
malum vitiosa ac gulosa diæta, sciunt illi, qvos laetior alit
mensa, qvæ dum fercula cumulat, varios morborum facit
proventus; unde etiam rarius hoc malum vexat pauperes, qvi
simplici acqvescent victu. Vina in primis malum hoc acce-
lerant, in qvibus tartari abundantia. Idem facit cerevisiæ po-
tus, qvæ ex aquâ impurâ, limosâ aut minerali qvadam qvali-
tate infecta paratur. Hinc videmus qvibusdam locis poda-
gram esse endemiam, qvemadmodum ex Horstio *in append. ad*

lib. 2.



lib. 2. p. 2. s. 1. §. 5. videre est. Ex esculentis malum promovent carnes sale maceratae, & fumo duratae; immo omnes difficilis coctionis cibi, ac qui serosum abunde suppeditant succum. Cum quibus consentit motus corporis vel nimius vel nullus. Unde Scytis hoc malum freqvens esse tradunt, quod frequentius evitent & stapedibus careant. Neapolitanos etiam ob evitationem saepius podagrâ corripi scribit. *Campanella lib. 6. medic. c. 5. art. 5. p. 38.* An vero freqvens usus caponum adeò noxious, dubitamus; probabiliter tamen discurrit Sennertus *de arthrit.* Præterea in tartaro congerendo maximum symbolum afferunt excretiones & evacuationes conservatæ retentæ. Hinc *6. Aphor. 39. Hippoc.* mulierem podagrâ non laborare scribit, nisi menstrua restagnaverint. Sic observavit Wolffg. Gabelchov. *cent. 4. curat.* in pistore quodam Calvenfi podagram ab intermissâ ad aliquot annos venæ sectione ortam, quâ alias adsuetus erat. In primis sudoris impedita exclusio ob pororum cutis constipationem, quâ præsente vix naturalis ἀπόρροια nedum humoris serosi evacuatio à naturâ peragi potest. Urinæ omnimoda suppressio idem potest efficiere, quia per urinarias vias copiosissimè quandoque tartarea materia expellitur, adeò etiam, ut subsistens in viis calculi causa esse queat; unde *Qvainerius: Calculosa passio Domianam Arthritidem diligit & tantam simul cum eâ habet affinitatem, ut una sine alterâ aliquem rarissimè invadat.* Atque hoc ipsum est cur Arthriticis plerumque calculosi, cuius rei causam quam maximè scire desiderat Fernelius, uti ex Brunn. *conf. 72. constat.* Ita Juris iste Licentiatus cuius Döring. *lib. de med. & med. p. 109.* meminit, qui lotium adeò acre reddebat, ut Spiritus Vitrioli instar linteamina corroderet, facile doloribus Arthriticis corripi potuisset, si natura per urinam non fuisset excreta. Nimius somnus vitium dum retinet, humores istos cumulat. Per vigilium vero humores ad excretiones stimulat. Nimia Venus fœcunda hujus morbi mater est, præsertim si Bacchus cum eâ coeat: mirum namq; in modum calorem naturalem resolvit & partes debilitat. Hinc Eynuchos, pueros ut & mulieres ante usum venereū hoc affe-

etū minus vel plānē non tentari autor est *Hippoc. lib. 6. aphor.*
28. 29. & 30. modō temperanter vivant. Nam Evnuchos alio-
qvin Artrhritide vexari posse, ut & mulieres, imō & pueros,
constat ex obseruat. *Schenkii lib. 5. p. 747.* Atqve hæc fuit causa,
cur Seneca autor longè gravissimus in epistolâ qvadam in il-
las invehitur mulieres, qvæ per luxum & ingluviem menda-
cem fecerunt Hippocratem. Animi affectus quantum mali
subsidiū, sciunt illi, qvi leviori irā commoti illicò in malum
delabuntur; testaturq; Aurelianus, omnes ferè arthriticos
esse iracundos. Nonnulla etiam qvæ non necessariō nobis
obveniunt, & propterea facile caveri possunt, ad harum cau-
farum censum spectant; ut ictus, percussio, contusio, calcea-
menta nimis stricta & angusta, pedum refrigeratio, & hume-
rato diurna, qvibus accedunt res p. n. qvæ non minus Ar-
thritidem introducunt. Sic febres solent nonnunquam in
Arthritidem desinere, materia criticè solutā, & articulis ut-
pote ignobilioribus partibus per *Διάδοχην* communicatā.
Arthritidis à Colicā progenitæ autores etiam mentionem fa-
ciunt.

Aphor. IX.

Differentiam arthritidis desumimus. 1. à generationis
modo, 2. ab invasione. 3. à loco affecto, 4. ab acciden-
tibus. 5. à duratione.

Χόλιον.

A modo generationis alia dicitur hæreditaria, alia non
hæreditaria. Hæreditaria est, qvæ à parentibus mediante se-
mine, cui seminum hujus mali fixi inhæret propagatur. Se-
minum autem istud nihil aliud est, qvām vis qvædam semi-
nalis impressa semini, qyod parentes contribuunt ad genera-
tionem liberorum; vel ut cum Hermeticis loquamur impres-
sio qvædam tincturæ fixæ Arthritidis in ipso semine, qyod suo
tempore eosdē producit fructus qvales fuerūt in causā seu ty-
po generante, nempe alterutrius vel utriusqve parentis. Falsò
tamen statuitur, tum demum hæreditario communicari hoc
malum; qvando parentes coēunt occupati à paroxysmo ar-
thritico.

thritico, qvia illud semen non eo tempore generatur demum; quando congreiduntur; sed generatum jam ante coitum, servatur in vasis asservantibus: ideoqve qvid paroxysmus conferet eo tempore semini. Obiter qvaritur, qvi fiat, qvod interdum illa morbosa impressio non in liberis, sed in nepotibus sese exserat. Causa potest rejici in robur viscerum & optimam observatam diætam, unde virtus communicata potest resistere malo. Contra ubi imbecillior virtus facile dispositio illa sese exserit; Fieri etiam potest, quando unius parentis saltem semen inquinatum, alterius vero balsamo naturali abundat, ut morbidum istud vitium à vigore balsami alterutrius parentis emendetur. Invasionis respectu alia dicuntur periodica, alia non periodica. Est enim arthritis qvæ dat inducias suasq; habet periodas perq; vices & intervalla vel certa vel incerta recrudescit, & exasperatur. Causam periodicationis non sine ratione ponimus in humore collecto, qvi dum æqualiter colligitur tandem irritat naturam ad æqualem sui expulsionem, si minus, secus fit. Pars affecta nomen variè variat; si occupat genu gonagra dicitur; si pedem podagræ; (qandoqve pro omni arthritide sumitur, cum pedes ferè primo & frequentius hoc malo corripiantur; jocosè etiam ad dentium dolorem trahitur, qyomodo Stobelbergerus tractatum edidit de podagra dentium) si manum chiragra, si compagem coxendicis sciatica; reliquarum partium articuli si infestantur, retinent nomen arthritidis generale. Qvæ enim vocabula præter enumerata à Pareo recententur inusitata sunt, nec apud Græcos facile occurunt. Accidentia constituunt aliam nodosam pedum juncturis nodos seu tophos apponentem; aliam non nodosam; aliam cum manifesto tumore, aliam sine eo; aliam cum febre, aliam febre carentem; à duratione fit vel inveterata vel recens & nova...

Aphor. X.

Signa Diagnostica sunt vel *παραγόνωμα* qvæ Syndrome multorum exstructa affectum ipsum indicant: vel

C. 3,

an-

*αι πογνωμονικά, quæ causas detegunt morbi-
cas, vel
διαφεροντικά quæ affectum ab affectu discernunt.*

χόλιον.

Affectum detegunt cum primis dolor & motus impotencia, quam saepissime comitatur tumor, ardor & rubedo partis. Hinc sequuntur vigiliae, virium dejectio & alia symptomata. Dolor initio plerumque pollicis articulum aggreditur, mox metapodium, vel etiam malleolos. Tophi adesse solent in malo inveterato, ubi discussa & absurta humiditate, pars terrestrier ac tartarea compingitur. Imminere jam malum indicat, si lassitudo membrorum adsit; si ægrum horror corripiat; lotum turbetur, & levius quamdam molestia in pedibus sentiatur. In causarum signis recensendis, ut multi simus exemplo aliorum, supervacaneum; quandoquidem atque vulgati humores arthritidem proxime non constitunt; sed vel concitati una cum sero vel etiam dolore attracti eò procumbunt. Ex abundanti tamen sic habe: si pars affecta insigni rubidine tingatur & venæ turgidae; sanguinem cum sero junctum in pedes irrepsisse indicio est; unde ad plethoram simul respiciendum. Si vero tumor mollis & albicans conspicitur, diæta etiam pituitoso humoris generando apta præcesserit; pituitam indubie sese sero adjunxisse existimandum est. Ardor, tensio & subflavescens partis color, corporis constitutio calida & siccabilem præsentem arguunt. Signa concernentia terminos à quibus; patent ex partium præternaturali constitutione, tensione, dolore & morbis propriis, quos signa patagonomica tanquam umbra corpus subinde comitantur. De articulorum imbecillitate utrum sit nativa an adscititia ex ægroti & adstantium relatu & ex superioribus signis ferè cognoscere possumus. His addimus signa distinguenda dolores Venereos ab arthriticis. Nam licet uterque dolor saepè easdem partes videatur torquere, gallici tamen magis circa noctem, hi æqualiter affligunt. Et in arthritide plerumque tumor est, in Iue venerea nullus; accedit ossium caries, & multa alia symptomata, quæ in arthritide sese non offerunt.

Aphor.



Qvæ de præsenti affectu prognosin ferunt triplicia sunt :
qvædam eventum ipsum indicant, an salutaris sit nec
ne? nonnulla tempus eventus insinuant & alia mo-
dum eventus determinant.

χόλιον.

Qvoad *eventum*. Etsi Arthritis malum satis contumax,
molestem & diuturnum est, minimè tamcn lethale, nisi alia
incommoda accedant febres sc. pernitiosæ, inflammationes,
angustia pectoris, teste *Hippoc. lib. de affect.* qvinimò sæpiissimè
longæva gaudent vita, eò qvod materia vitiosa è centro cor-
poris ad circumferentiam protrudatur. An verò curabilis
fit controvertitur? est curabilis & non curabilis. Curabilis in
ægro temperante obediente, iuvenili ætate constituto, qvi la-
borem amat, facilem alvum habet & medicum prudentem
nactus est, *Hippoc. lib. 2. prædict.* Contrà verò, qvi curati ad in-
temperatam vitam redeunt, in otio degunt, omne præceptum
medicum renuunt, alvum adstrictam habent, seniores sunt &
circa articulos callos induratos circumferunt apud illos in-
curabilis est. Tempus eventus *Hippocrates lib 6. aphor. 49.* ita
determinat : qvibuscunqve morbi podagrici fiunt, iis sedatâ
inflammatione intra quadragesimum diem finiuntur, modò
ut Galenus addit nihil in curatione deliquerit Medicus & æ-
gri sint obedientes. Qvi tamen aphorismus de ultimo termi-
no intelligendus, qvandoqvidem compertum multos intra
pauciores qvàm quadraginta dies sanari. In specie longitu-
do & brevitas hujus mali dependet 1. à naturâ ægrotantis ;
hæc enim si robusta, citam liberationem, si prostrata tardam
polliceri solet, 2. à tempore anni, vere enim & ætate brevio-
res sunt Arthritidis dolores : hyeme verò & autumno lon-
giores; sic 3. & ratione materiæ vel brevior vel longiore eva-
dit; prout humor falsus nunc tenuior est nunc crassior; imò
prout humores alii vel tenues vel crassi simul confluunt.
Modus eventus quadruplex est: aut enim resolvitur qvod sæ-
piissimè fit & optimus modus est: aut induratur, qvod ali-
qvando

qvando evenire solet dissipatā scilicet tenuiore parte, relicta
verò crassiore, qvæ concrescens in duram molem & substan-
tiam gypseam, nodosam constituit podagram; vel matura-
tur, qvod rarissimè vel nunquam contingit, non quidem ut
aliqui volunt, ob locum à fonte caloris remotum; sed ob hu-
moris ad suppurationem ineptitudinem; vel ad alia membra
transfertur: qvod si id fiat ad exteriora (qvam translationem
tumor indicat) bonum & salutare signum est; sin ad interio-
ra ut pluimum graviores progenerat morbos.

Aphor. XII.

Curatio vel est physica vel hyperphysica; hanc mittimus;
in illam tanquam scopo nostro magis accommoda-
tam inquirimus.

Φύσις.

Physica dicitur, qvæ ex qualitatibus manifestis effectum
suum fortitur; hyperphysica (magica alias) qvæ ex occultis
sive totâ substantiâ agentibus qualitatibus morbum depellit.
Hæc perficitur vel 1. per amuleta, qvale commendat Bickerus
de sanitate tuenda c. 22. qvod ex Alexandro Tralliano desumisit
atqve sic habet: accipiatur testudo masculina (cognoscitur
inter cætera caudæ discrimine) Luna jam vacua priusquam
ad coitum Solis se accingat, amputentur vivæ crura omnia,
ea consuta in sacculos ex pelle hædina alligentur membris
patientibus; ita, ut dextrum crus testudinis dextro cruri æ-
grotantis respondeat & sinistrum sinistro. Experimentum
hoc suis oculis vidisse testatur Solenander *s. i. conf. XX. p. 86.*
additq; in podagra frigidâ terrestres, in calidâ aquaticas ap-
plicandas. Plura ejus generis pentacula vide apud Meie-
rum *de civit. corpor. humani vindicati* c. 9. p. 158. vel 2. per
transplantationem quam docet Anonymus *de occulta magico-
magnetica morborum curâ* p. 75. Tenzelius *in medicina Diastaticâ*
c. 21. Rhumelius *in curâ podagrâ magiâ*. vel 3. per verba &
characteres, qvam tamen ut impiam proscribimus, licet eam
veneretur Paracelsus *lib. de occult. Philos. tit. de character.* &
cum ipso Trallianus *lib. 10. c. 1.* it. Beierus in suo vademecum,

qvi



qui ex Galeno sententiam suam defendit. Pro nobis militat Senn. in tract. de cons. & diff. c. 18. Quas alias mirabiles, addo & jocosas nonnunquam solent recensere Arthriticorum curationes (Schenckius, Snizerus & alii) eae uti praeter communem usum contingunt, Pareus introd. ad chirurg. c. 23. ita in multis rationem reddere non difficile Senn. d. arth. q. 8.

Aphor. XIII.

Curatio physica respicit tum causam , qvæ vel antecedens, vel irritans, vel continens ; tum accidentia ejus frequentiora.

χόλιον.

Est quidem Arthritis quatenus tumorem conjunctum habet, morbus in conformatione, & sic morbus in magnitudine, adeoque quatenus tumor sui indicat diminutionem, verum cum indicatio haec fermè inutilis sit, quia non datur materia remedii, qvæ immediate auctam magnitudinem tollat ad causam potius curam dirigendam censemus.

Aphor. XIV.

Antecedens causa jam influxura minoranda in corpore quidem plethorico, sanguinis missione; in corpore vero cacochymico purgatione, clysteribus, diureticis nec non diaphoreticis; materiam suppeditant Dogmatici & Hernietici.

χόλιον.

Esse venæsectionem minus necessariam contendunt multi, ex eo, qvod missio sanguinis quantitatē respiciat, malum vero à vitio in qualitate. Sed recte contrarium defendit Celsus lib. 4. de remed. c. 24 qui statim sanguinem mitendum esse censet, ubi sentitur dolor arthriticus, id enim inter initia factum sæpè annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem tutam præstat, cui subscribit Spigelius tract. de

D

arthrid.



artibit. Sciendum tamen hæc ipsa intelligenda esse, si plethora, occasio sæpius ebullitionis conjungatur, ubi phlebotomia nequaquam negligenda, in primis qvando cum insultu febrili invadit, fit namq; ut missa sangvine febris synocha, qva stipari solet arthritis in primâ suffocetur herbâ, vel mitior reddatur, materia verò ad pedum articulos iter sumens imminuatur & à parte afflictâ avertatur. Ubi tamen non inutile erit præmittere Clysterem ad destercorandam alvi sentinam vel suppositorium. Quantum autem mittendum sit, illud medici est conjecturare ex viribus & imbecillitate ægri. Ubi mittendum materia ad partem decumbens indicat. Locum venæsectionis supplere possunt cucurbitulæ vel scarificationes, qvando forsan vires infirmæ, qvæ phlebotomiæ non admittunt. Nec parvam utilitatem habebunt vesicatoria & fonticuli, utpote qvibus humor influxurus educitur & avertitur, influens in viâ intercipitur, & qvi influxit absimitur. De qvibus tamen notandum, iis tum demum utendum cum omnium jam pericula fecimus, nec ullum huic malo sufficiens. Venæsectionem excipit pharmacia, qvæ eva-
cuantia omnium primò suppeditat. Et qvidem vomitoria, si recto ordine instituantur, vix dici potest quantum auxilii afferant; in primis in metu doloris Ischiadici docente Forreto; cum à parte afficiendâ vel affectâ insigniter materiam peccantem revocent. Sunt autem in usu Galenicis varia. In primis probantur asarum & genista tanquam specifica. Datur igitur decoctum rad. asari vel flor. genistæ in aquâ vel sero factum. Chymicis in usu est aqua benedicta Rulandi cuius basis crocus metallorum; Sal Vitrioli, Magisterium Vi- trioli (descriptionem habet Rhenanus in *diff. chymiat.* lib. 3. p. 15.) Sal Vitrioli Veneris, essentia genistæ, extractum asari, quod valde probatur. Asarum quippe præter vim emeticam appropriatum est in articulorum affectibus, quod cum successu in coxendicū dolore sæpius expertum profitetur Wilh. Rondeletius *meth. cur. morb. c. 82.* Qui emetica aver-
santur purgantibus humorem ducant, in qvem finem adhi-
berii



Beri possunt maximè illa medicamenta, qvæ serosum edificant succum, uti sunt mechoacanna, jalapium, gummi de peru, rhabarbarum, sena, hermodactyli (usus horum a non nullis valdè probatur, ab aliis improbat) omniaq; medicamenta qvorum basis tartarum. Crato ad lenem serosi humoris expurgationem mirè laudat syr. de spinâ cervinâ qvem Schröderus in consilio à Wittichio collecto vocat appropriatum laxativum in podagricis affectibus, cuius descriptio nem suppeditat Dispens. Augustanam. Chymici pro scopo hoc conseqvendo adhibent extracta; senæ, rhabarbari, Jalapii, mechoacannæ, scammonii, magisterium gummi de peru (apprimè utile): ex regno minerali in primis medicamenta ex Mercurio landant, ita enim Agricola in comment. ad Poppium p. 1. p. 134. Es ist in den Podagrischen flüssen kein höher purgans zu finden als der Mercurius, hinc Mercurium vitæ ritè præparatum item dulcem celebrant. Formulas subnectere frustraneum, cum cujusque constitutioni propriæ rectissimè à Medico præsenti præscribantur. Semper enim respi ciendum ad humorē, qui seroso conjunctus; raro qvippe solitariè existit. Sic si peccaverit simul humor melancholicus, melanagogæ; si pituita, phlegmagoga; si bilis cholago ga suum inveniunt locum. Præstat item adjungere ea, qvæ peculiariter huic malo dicata sunt, inter qvæ excellit chamæpitys seu Iva dicta adeò ut propter insignem usum, qvem hic præstat Arthetica dicatur: item chamædrys cuius decoctum insigniter commendarunt Genuenses Carolo V. scribitq; Solenander qvosdam eo penitus fuisse liberatos; radix item Aaronis; gentianæ; ossa pedum humana calcinata. Chymici arcanum tartari miris modis extollunt, dicuntq; eo radicaliter hoc malum posse tolli; præparationem habet Sennertus tract. de arbit. p. 66. De purgantibus in genere monet Hartmannus in praxi chymiatrica p. 144. cavendum esse in exhibitione eorundem ne fiant ipso paroxysmo, sed vel ante insultum vel certè in ipsissimo statim morbi principio; de quo tamen autores etiam litigant. Franc. Valetiola

enarrat. medic. lib. 2. 4. aut nihil omnino aut lenissime eva-
cuandum inquit. Ludovicus Septalius *obs. 176. l. 7.* distinctio-
ne rem solvit: sc. respiciendum monet ad materiam peccan-
tem, quæ si copiosa & in fluxu adhuc imperandum purga-
mentum, ita quidem, ut eo tempore quo evacuatio insti-
tuitur versus articulum fasciam cum intercipientibus
adaptemus, ut sc. fluxus inhibetur, quam adstringen-
tium applicationem licet alii etiam in ipsissimo paroxysmo
commendent, non tamen possumus eam approbare, cum ve-
rendum sit ne ad principales partes vergat fluxus; si vero
pauca & jam in articulos deflappa, abstinendum; vicariam
nihilominus operam praestare possunt clysteres, de quorum
utilitate & securitate nemo dubitat, modo scias in dolore
ischiadicō fortiores requiri, quam in aliis articularibus; quod
& de purgamentis notare omnino convenit, quam & le-
niora penitus proscribat Crato. vide *consil. à Scholz. collecta*
conf. 247. De preparantibus an praemittenda non minor con-
troversia? non adversor, si per preparationem intelligatur
castigatio acrimoniae, quæ in tartaro humore magna.. Pur-
gato sic corpore ad diuretica descendimus, quæ testimonio
Hippocratis valde prosunt, qui *aphor. 72.* inquit: quibus ad
articulos futurus est abscessus, eos liberat ab abscessu urina
crassa & multa. Materia sat nota. Ex Galenicorum fonte
succurrimus decocto cicerum, rad. aperitiv. asparagorum,
aliisq; aliquot matutinis exhibitis. Chymicorum schola præ-
scribit tartarum Vitriolatum, spiritum Salis, nitri, Vitrioli
philosophicum, tartari & in primis tincturam hujus, quæ ad-
modum celebris. Quibus omnibus in constitutione epatis
calidâ cichoracea admiscenda sunt. Succedunt diaphoretica,
quorum usus mirum quantam utilitatem praestat, si quidem
experientia & Cratonis autoritate constat, iis qui periodicè
ab hoc malo infestantur, dum sudores liberè fluunt, non esse
metuendum de invasione: simul ac autem parcus sudant,
non procul abesse hostem truculentum. Indicati hujus præ-
reliquis materiae sunt sarsaparilla, sassafras, radix chinæ, the-
riaca,



riaca, mithridatum, C. Cervi, rob sambuci, qvæ qvia maximam partem calida, cum cautione adhibenda & non nisi temperata frigidis. Chymici in usu habent antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale sine & cum Sole, essentiam chinæ & alia. Commodè hic mihi in mentem veniunt acidulæ, de qvibus qværitur, num aliqvid in profligando hoc malo possint? Certum qvod urinas validè moveant; sudores strenuè cieant; & superfluos humores per alvum egregiè expurgent; sed rectèmonet Sebiziusr *in erudit. suo de acid. tractat.* p.460. eas convenire extra paroxysmi tempus nim. præservationis causa, in ipso verò paroxysmo vitandas esse.

Aphor. XV.

Causam irritantem Diæta præcavemus.

χόλιον.

Diæta, qvæ regula curationis, formari debet rebus sex non naturalibus: aeri se non committant frigidiori, humidiiori, sicciore, calidiori, sed temperato: utantur tenuissimo victu, vini haustus devitent qvam maximè; vel si stomachi imbecillitas urgeat parcus fiat; sæpius enim, qvos medica- mента expedire non potuerunt, subsidium invenerunt in ab- stinentia. Cibi ratione qualitatis sint boni succi, facilioris coctionis, expertes etiam tartarei succi.. Venus nimia malo maximè incommodat, nullusq; in somno & vigiliis sit exces- sus, omne namq; ve nimium naturæ inimicum. Exercitia cor- poris sint moderata, illorum enim vehementia dum humores movet, ad articulos præcipitat. Balnea aquæ dulcis noxia sunt. Corpus depurandum est statis temporibus, cum primis vere & autumno, ubi paroxysmi ut plurimum vigent. Ani- mi affectus compescendi, qui sæpius postliminiò qvæsi malum protrahunt.

Aphor. XVI.

Conjunctam causam, qvæ articulos obsidet & paroxy- smum procreat discutientibus tollimus; Hermetici

D 3,

salibus.



salibus resolventibus, admiscendo ea qvæ articulos irob-
borant & affluxum prohibent.

χόλιον.

Ad discutientia per ventum est, qvæ non qvævis calida propriè hic sunt, sed ea potius qvæ familiaritatem habent cum seroso humore, cum qvodvis à qvovis non solvatur. Exemplo sint gummata. Igitur ea medicamenta potissimum eligenda, qvæ salem volatilem vel essentiam salinam in se continent. Præscribuntur oleum liliorum alborum, chameleinum, anethi, lumbricorum terrestrium, qvæ mitiora; magis operativa sunt aqua ulmariæ pennâ illita, qvæ ita extrahit humorem ut etiam vaporis formâ exhalare videatur. Urina humana, cuius insignem effectum celebrat Spigelius; halex salita in medio discissa & dolenti loco applicata teste Foresto *lib. XIX. obs. VII.* radix aronis, bryoniae confusus & parti superimpositus; hinc radicem aronis mistum cum stercore vaccæ singularem perhibet Scholzus *in consil. 247.* pulvis & flores sambuci, item aqua ejus; aqua florum verbasci, spiritus vini, sal esculentum, limaces præsertim testæ si simul conterantur, & alia qvorum longa series apud Practicos. Artistæ præscribunt Sal armonicum & Spiritum ejus (insignis me hercule virtutis) in aqua sambuci; item spiritum & sal urinæ in aqua ulmariæ solutum; spiritum Salis, calcis vivæ, sulphuris, tartari, balsamum sulphuris, oleum sambuci, ossium humanorum, sangvinis cervini, feminis eboli, qvaiazi (in venere ut plurimum) quemadmodum & vitrum antimoniæ cum Mercurio sublimato, qvæ miris modis extollunt. E compositorum numero celebrantur balsama podagraria Crollii; aq. antipod. Rulandi; cuius tamen compositio adhuc dubia; Mindereri *c. 6. de chalcanto* descripta; Quercetani *in pharmacop. dogmat. delineata c. 7.* Adriani Minsichts *in thesauro medico-chymico*; uti & balsamum ex sanguine humano apud Beckerum *in Spagyr. microc. c. 12.* traditum. Circa discutientia solent monere practici qvæ sequuntur
I. Respi-



1. Respiciendum simul esse ad humorem sero admixtum, hic si calidus, leniter discutientia; sin frigidus validiora postulat. 2. In applicatione eorum morbi tempora consideranda esse: in initio enim morbi non nisi mitioribus utimur admixtis simul repellentibus; in progressu vero defluxione facta ad validiora transire licet; ita tamen, ut ob metum in durationis, quam materia peccaminosa contrahere possit emollientia admisceamus. 3. In coxendicum dolore plenumque fortissima locum habere, quae extorsum humorem evocent & attractum absument, hinc 4. si in profundo materia latitet, ad rubificantia & exsiccantia quoque posse accedi (licet reformidet Mercatus) non temere docent. Quod ipsum remedium Hieronymus Sachetus in tract. de arthrit. tanti fecit, ut hoc solo multos podagricos se curasse gloriatus fuerit.

Aphor. XVII.

Accidentia mali hujus frequentiora sunt febris, sitis, dolor, vigiliae, virium imbecillitas, motus impotentia, tumor, nodi, contractura, quibus omnibus occurrentibus.

Χόλοις:

1. Ex ebullitione sanguinis non raro oritur febris, quam primariam non symptomaticam contra plerosque esse decidimus; hinc podagri sæpius horrore corripiuntur, cui mox calor supervenit. Laborandum hic est ut ebullitio inhibatur, quod fit Spiritibus Vitrioli, sulphuris cum aqua hordei & aliis refrigerantibus mixtis; quibus ad comparandam gratiam Julebus vel Syrupus refrigerans addi poterit: nec incommode alvus cum Cristallis tartari ad drachmas duas in jusculo sumptis aperta servatur.

2. Sitis quæ ex vaporibus calidis sursum elevatis suam habet originem iisdem quibus febris compescitur remedii, succo in primis limonum, citri, berberis.

3. In-



3. In primis autem dolor & inde pendentes vigiliae magnum solent facessere negotium, adeò ut violentas sibi manus non raro intulerint, hinc in pharmaciâ extraordinaria nonnunquam observatur methodus, qvâ causa relictâ dolori succurrimus. Levatur tribus modis 1. per musicam, eo qvòd harmonia & svaves soni animum svaviter reficiendo recreant & corroborant, affectus inordinatos sedant, qvibus ad tranquillitatem reductis corpus quoqve melius se habere potest, Tandler. *dissert. de fascin.* p. 69. 2. Per calori nostro analoga, anodyna dicta in quantum demulcent atqve vi quasi emplastica solutionem uniunt & humoris acrimoniam obtundunt, ex horum censu est lac vaccinum aut aliud pannis lineis applicatum, qvod ab initio chalybeari potest & ut dolor magis sedetur, semen fœnugræci & lini in eo decoquatur. Scribit Spigelius, fuisse qvi capram in cubiculum adductam supra dolentem partem emulgeri jusserint, cum magno ægrotantium levamine: Alii immiscent pulverem florū sambuci: nec sine fructu. Novivirum (inquit Blochwizius in anatomiâ sambuci p. 245.) qvi cremorem lactis recentem sumit, eidemq; permiscet pulverem instar pollinis subtilissimum florū & foliorum sambuci, ut consistentiam puliculæ acqvirat, qvam linteis impositam parti dolenti calidiusculè applicat, summumq; levamen ab hoc unico & simplici remedio felici successu experitur. Qvām commodum sit cataplasma qvod conficitur ex lacte intritâ medullâ panis similaginei cum vitellis ovorum, oleo rosaceo & croci modo, norunt multi. Hartmannus carnis bubulæ frustum sine pinguedine parti dolenti superallegavit idq; mane & vesperi mutavit non sine insigni dolorum remissione. His mitigatis addit Raicus in tract. de podag. radicem qvandam in eremo & petrais nascentem, qvam cervariam Germ. Hirschwurz vocat. Hanc arefactam pulverisatam cumq; vino albo potentia in cataplasma coctam, locoq; dolenti calide applicata immanissimos dolores inflammantes & mentem pene evomentes ilicò tollere scribit. Hermetici oleum antimonii miris

miris modis prodesse clamitant; præparationem vidè apud Raicum l. dicto. Interdum contumacior dolor eludit hæc mītiora, hinc in præsidium vocanda 3. narcotica, qvorum usus initio externus sit; sic efficacissimum medicamentum Platerrus esse scribit, si in spiritus vini simplicis vel eruci infusione flavescentis 3iiij camph. 9j & opii 3j dissolvatur illoq; liqvore pars dolens illinatur; qvem effectum & Nicotianæ foliis recentibus contusis & parti impositis adscribunt. Est enim in iis peculiaris vis narcotica, qvam percipiunt illi, qui quasi sumi mancipia ejus fumum per tubulum ad inebriationem usq; que attrahunt. Qvod si verò ob dolorum & vigiliarum vehementiam extremum impendeat periculum, intrinsecus ussus etiam accersendus, qvomodo cum maximo successu exhibitum legimus laudanum opiatum à gr. iiij ad gr. iiiij in epist. med. Horst. lib. 2 p. 577. Pro eodem scopo Pharamundus Rhumelius massam pilularum habet, qvam propter egregiam virtutem in demulcendis doloribus podagricis indigit, surge amice & ambula. Monent tamen circa narcotica practici, ne in eorum usu diu persistamus, cum calido nativo & nervis sint inimica.

4. Sedato dolore si nihilominus vigiliæ remanserint ob allusionem vaporum calidorum in cerebrum fronti epithema applicari poterit ex repellentibus & discutientibus.

5. Qvod si verò dolores duraverint, virium seqvitur imbecillitas, cuius causam inquirunt multi, inveniunt pauci. Probabile est cor depauperari suo calore, dum parti succurrit ægrotanti. Emendamus eam confortantibus, qvæ inter reliqua sunt magisterium perlarum Riverii, oculorum 69. solutum corallorum, & eorundem tinctura, conf. alchermes, species diamargar. frigid. aqua cinamomi, spiritus rosarum, syr. granatorum, acetositatis citri, rib. cond. & alia.

6. Motus impotentia facile evanescit, modò materia continens discussa sit & membra roborata. Sin perseveraverit, nihil magis juvare poterit, qvam si fonticuli excitentur, vid. Horst. lib. 3. observ. medic. p. 2. obs. 3. Balnea etiam pedum ex febis vini liquidioribus, è qvibus aliàs spiritum eliciunt non

E

sine



Hinc fructu in usum trahuntur, quæ Crato adeo commendat, ut illis nihil convenientius esse putet.

7. Tumor per discutientia solvitur de qvibus supra.

8. Nodi, qvi inveteratæ arthritidis soboles, difficillimæ curatæ sunt, imò vix non impossibiles. Nihil tamen intentatum relinqvendum cum etiam Galenus lib. io. M. M. de curatione hecticæ tertii gradus agat, licet sciverit, eam nunquama perfectè curari posse, hinc paucis curam delibabimus. Primò itaque emollientia præcipienda sunt, postea dissolventia, vel sanè utraque miscenda quo fine in usu esse potest emplastrum de meliloto, diachylum cum adipe anseris emolliatum, diapalma oleo anethino liquefactum; caseus vetus subactus decocto salso pernæ suillæ. Chymici oleum ceræ cum pingvedine anserinâ adhibent, qvibus etiam gummi ammoniacum & bdellium misceri potest. Non etiam inutile erit aliquid de pulvere Aaronis intra corpus sumere vel consimile quid, qvale est antimonium Diaphoreticum & Bezoardicum minerale, quod junctis viribus tophaceam materiam dissolvere & expellere valet. His nihil proficientibus ultimū erunt remedium Sinapis ex cantaridibus, sinapi, castoreo, sulphure, calce vivâ & similibus confecti. vid. Hartm. *in praxis Chymico*.

9. Si tandem res miseri ægtotantis eo deveniat, ut contractura langvidum suum corpus occupet, omni conatu prospiciendum, qvæ ratione molesto huic symptomati occurramus, quo in casu valdè utilis sudoriferorum adornatio per lignum sassafras, Gvajaci, radicem chinæ, hac adhibitâ cautione, ut propter caliditatem cichoracea adjungamus; tintura etiam corallorum, aurum potabile, si ejus fieri queat copia, spiritus tartari, salis, margaritaræ præparatæ valdè commendabiles: vel si externa magis placent ordinandum balneum ex formicis positis in facculum & coctis. Item castoreum cum vino coctum & membris affectis inunctum. Sic oleum de lateribus, ceræ & alia, magnæ efficaciam. Ultimum auxilium sint thermæ, ad quas tanquam ad sacram anchoram confuge, ita tamen ut prius corpus benè mundificetur & ad haec curam idoneum reddatur.

io. Et



10. Et hæc de arthritidis essentia ; causis , differentiis
signis & curatione vel delibasse saltē sufficiat. Præservatio-
nem ex curatione facili negotio qvis deducere & colligere
poterit.

*Ad juvenem Clarissimum,
publicè disputantem,
Pro summo in Facultate medicâho-
nore.*

Nil per Acidalius quos h̄ic prensabat bonores ;
Hos quoque Preibisius tentat habere meus.
Nobile par fratrum ; Sophiam tractavit uterque :
Hippocratis medicos legit uterque libros.
Anget utrūq; decus celebris facundia ; lingua
Preibisius, lingua pollet Acidalius.
Propter Acidabum sicut Witebergat triumphat ;
Sic nunc Preibisi gaudet bonore mei.
Ecce rōmā felix cathedram concende Galenī,
Qui caput ornabit fronde vidente tuus.
Ast ego spectator tanti certaminis unā
Cum reliquis pangam carmina mille tibi.
M. Michael Wendelerus P. P.

Non , quicquid medicis felix Epidaurus arenis.
Educat, hoc illa te ratione fugit :
Aut quicquid medica vir summus in arte GALENUS
Præcipit, HIPPOCRATES Cous, & ASCLEPIUS.
Quip-

Quippe tibi multo vigilatas tempore noctes
Novi & quod studium sit fueritq; tuum,
Nunc, quæ digna tuo sunt, prende brabéa labore
Fac inter summos tu vigeasq; Viros.

Ita

Boni omnis ergo ex sincerâ
quæjam tum est ami-
citia acclamare debuit

Carolus Christianus Thodt
Nob. Hoe ab Hoenegg
Pref.

Sunt variæ dotes, qvas confert almus Apollo;
Nulla tamen medicâ ditior arte datur.
Divi verba Senis: Divinus redditur ille,
Qui Sophiæ medicas jungit utrinq; manus.
Ergo brevi dignum Te lauro ornabit Apollo, &
Gaudentes Musæ carmina multa ferent.

f.

Wolfgangus Schallerus.



05 A 582

ULB Halle

003 762 319

3



1017

Farbkarte #13



Quod felix faustumq; Deus esse jubeat! 19
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
De
ARTHRITIDE,
Galenicè & Hermeticè de-
ducta,
Qvām
Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ in
celeberrimâ Wittebergensi Academiâ,
PRÆSIDE
Excellētissimo, Clariſſimo, Experientissimo
VIR O,
Dn. JOHANNE ERINGIO,
Medic. D. P. P. meritissimo, Præcepto-
re suo venerando,
Prosummis in arte Medicâ ho-
noribus & privilegiis,
publico examini submittit offert
M. DAVID PREIBISIUS,
Glogâ Silesius,
Ad diem I. Julie,
In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis.
WITEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDC. XLI.